

motione unius finis ad remotionem aliorum non valet consequentia. Est necessaria illa notitia cum propter nos, tum propter alios. Propter nos, ut naturae terminos cognoscamus & præparemur ad Scholam Gratiae. Propter alios, ut cum illis disputare queamus ex iisdem principiis. Disputantes enim debent convenire in iisdem principiis. Præterea nostrum est, semen illud religionis nempe naturales illas de DEO notitias etiam hōc fine fovere, ut in gravissimis temptationibus de DEI existentiā & providentiā possimus occurrere Satanæ: & denique ut à belluiniis voluptatibus, quibus ipsa ratio paulatim opponitur, abstineamus.

§. 57. Deinceps regerunt & hoc: Qui rationem constituit menturam DEI, est in DEUM blasphemus. Atqui hoc faciunt Theologinaturales. E. Resp. falsum hoc est: Nemo enim scripsit in Theologia naturali, hominem ratione suâ metiri DEUM.

§. 58. Nec est, ut dicant, Gentiles multa habere de Trinitate & redemptione per Christum. Ergo & illa tradenda esse in Theologia naturali. Resp. (1) Ethnici illa acceperunt à Judæis, & veluti per transennam adspexerunt. *Vide Mornæum c. 6. de Verit. rel. Christ.* (2) oportet distingvere inter declarationem & demonstrationem. Multa adferri possunt è librō naturae pro declaratione utriusque istius Mysterii, quæ ineptè adhibentur ad conficiendas demonstrationes. *Excipit:* Verisimile fieri, quod Ethnici à Judæis illa hauserint, cum illi horum Mysteria deriserint. Resp. Hermes Trismegistus, & primi illi Ægyptiorum atque Chaldæorum omnem suam scientiam a populo DEI hauserunt. At posteri degeneres facti obscurarunt illa, quæ rectè acceperant à majoribus suis & elati superbiâ noluerunt agnoscere se à Judæis aliquid didicisse.

§. 59. Deinceps ogganiunt hōc modō: Rationes Metaphysi-